



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Exempla, Divinæ Iræ, Per Opera Poenitentiae, Nobis Leniendæ

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1648

§.6. Alberico multos similes esse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52193](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52193)

os venerant, nudatas ac dehonestatas produxit.
 Quibus rebus uniuersi pro ipsarum indignitate
 ac forditate permoti, ingenti sublato clamore di-
 cere cœperunt: Moriatur detestandus tyran-
 nus, ac uiuus cum vxore & liberis concre-
 metur, & tota eius progenies extirpetur.
 Quibus ille uocibus excitatus subiecit: Preclarè
 admodum dicitis, uestra enim oratio præcipuè
 cum diuina Scriptura consentit, qua inquit,
 Non sit bonum impio, nec prolongentur **Eccles. 8.**
 dies eius, sed sicut umbra transeant, quia **13.**
 non timet faciem Dei. Ego uerò, quoniam
 tantum consensum, atque ardorem animorum
 uestrorum non nisi Dei uoluntate excitatum
 existimo, auctoritate omnipotentis Dei & B. B.
 Apostolorum Petri & Pauli, & Legationis Apo-
 stolica, qua fungor, crucem aduersus Alberi-
 cum indico, ac plenam omnibus peccatorum re-
 missionem indulgeo, qui uel ipsi contenderint, uel
 alios pro se miserint, uel quodcumque adiuuen-
 tum, ad hanc pestem è terra exterminandam
 attulerint. Inde matronis senatus commenda-
 tis, urbe discessit. Ea res mirè uniuersam Mar-
 schiam ad ultimas pœnas de Alberico etiam ex-
 petendas accendit.

Quid mirum si illos accendit, ad quos **VI.**
 pertinebat, cum & uos ista audientes accen- **ALBERICO**

MULTOS
SIMILES
ESSE,

Matth. 7.
3.

dat in indignationem? Et non putemus, Deum hominibus esse justio rem? Non censeamus, summum Iudicem, ex officio, tales plectere pœna talionis, ac paria paribus re-
ferre debere? qui palàm antedixit: *In quo iudicio iudicaueritis, iudicabimini: & in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Si enim homines tam malè tractant Deum in creaturis suis, ipsum scilicet Creatorem qui in opere suo contumelia afficitur; quid ni Creator vicissim in illos vindicaret? Nemo mortalium, vel spoliatus, vel domo expulsus, vel filijs, parentibus, vxore, aut marito priuatus, vel qualicumque damno affectus, etiam sauciatus, etiam semianimis relictus, dicat Deum iniustum; ille omnia videt, ille æquissimas habet nos castigandi causas, quas si præ duritia cordis, aut mentis cæcitate non videamus, tamen diuinus oculus habet cognitissimas. Et vel idcirco nos plectit, vt oculos aperiamus, & videamus, nos meruisse, atq; vbi deprehendimus, peccata nostra defleamus, atq; ad frugem redeamus. Qua de causa optimi quiq; vbi aliquid illis aduersi accidit, illico in se ipsos descendunt, & conscientiam suam interrogant, an non fortasse Deum ad iram prouoc-

prouoc-

prouocarint? Et profectò sæpe etiam venialia peccata variarum afflictionum permissione puniuntur. Qui enim non curat, vt omnes Conditoris ac Redemptoris sui offensiones, quantum potest, caueat; dignus est vicissim, vt ille non tantis eum beneficijs foueat, nec omnia mala ab eo propellat; juxta illud: *Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris.* Quamquam multi, qui se existimant esse innocentissimos, nocentissimi sunt, & sceleratissimi; cum jam cæcum hoc sæculum eò deuenit, vt virtutes pro vitijs, & vitia ipsa habeat loco virtutum. Quàm multi enim reprehendunt eos, qui, cum dispensatum sit de esu carnium in quadragesima, tamen à carnibus abstinent? qui, cum jam saturi, bibere & propinanti respondere recusant? qui inhonesta loquentes, aut detrahentes de fama alterius corrigunt? qui sæpius confitentur sua peccata? aut ad diuinam mensam accedunt? illos autem qui blasphemare, qui alios ad duellum, aut ad alia scelera prouocare audent, laudibus extollunt? Vno verbo, annon ignominiosum, & milite, aut homine generoso indignum passim censetur, si quis ad duellum inuitatus non comparet? scili-

Psalm 173

cet plus refert non bellicosum videri, quàm
 morti, excommunicationi, æternæ damna-
 tioni se exponere. Hæc, & innumera talia
 videt Deus, & non puniat? Nihil enim ad-
 huc dicam de occulto odio, de tacita vindi-
 cta, quæ zelus putatur. Nihil de mille super-
 stitionibus. Nonnè Cinigeros, homines
 maleficos, & dæmoniacos patri mendacij
 seruentes, *veridicos*, aut *veratores*, solent
 appellare? Ad eos, si quando sciuntur in-
 vicinia esse, luce palàm excurritur; & con-
 silia per eos à diabolo petuntur. Si eos pu-
 tas mentiri, si nihil scire, cur consulis? si
 autem vera dicere, cur non credis, quando
 tibi dicunt tua scelera? & te coram omni-
 bus astantibus infamant? Mendacia pecu-
 nijs emis, & vbi veritatem gratis audire
 posses, eò non accedis. Posses enim audi-
 re apud Confessarium, apud Concionato-
 rem: apud alios homines pios. Nihil di-
 cam de mille titulis lucrandi, qui cùm sint
 iniquissimi, colore tamen aliquo excusan-
 tur: nihil de iniquissima oppressione pau-
 perum, persecutione innocentum; qua de
 causa Christus dixit: *venit hora, ut omnis
 qui interficit vos, arbitretur obsequium se præ-
 stare Deo.* Hi omnes, & alij quàm plurimi,
 cùm

Ioan. 16.
 2.

eùm sint nocentissimi, tamen se putant esse innocentes.

Sed quamuis tu sanctus sis, vide ne alienorum scelerum te participem efficias. Vel enim consentis, vel consulis, vel iuuas, vel approbas, in quo alter delinquit, & iam iustam Deo Iudici causam offers tui plectendi. Quod & Alberico contigit, Icilino fratri suo sceleratissimo adhærenti; in quo, si cetera illi crimina defuissent, solo mille mortes meruisset. Audite, obsecro, qualis fuerit Icilinus. Is primò *ultra se Verona do-* *minum appellauit, atq; ibi & Patauij primori-* *buz ciuitatis per varias causas interimendis in-* *tentus, eas ciuitates in tantam salutis propria-* *desperationem adduxit, ut plerique, ne illius cri-* *minatione iniquo iudicio publice interirent, ul-* *tro sibi mortem consciscerent. Postea Icilinus Ve-* *ronam reuersus, eò impotentius questiones pro-* *ditionis exercuit, atq; omnes qui Verona, & Pa-* *tauij aliquid aduersus se vel dixisse, vel fecisse di-* *cebantur, publica ac fœda morte affecit, quot* *innumerabiles fuisse accepimus. Tertiò, quia* *& Patauij inauditæ crudelitatis suæ habenas* *ita laxauit, vt nullum diem præterire pater-* *retur, quo non in aliquem vel infontem no-* *uo aliquo necis genere tormentiue debac-* *charetur,*

VII.
ICILINUS
IMMANE
TATAS.

Carol Sigon, lib. 18. de re-
gno Ita-
liae, & lib. 19.